



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio LXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN  
indulgentiarū, satis hucusq; est disputatū, & adhuc expectat des-  
terminationē Ecclesiæ, nisi quod certū est, eas esse relaxationes  
tantum temporalium pœnarū, quæcunq; tandem illæ sint. Re-  
laxatio uero pœnarum (ut dixi) uilius est donum, quod Ecclesia  
donare potest, præsertim si eam donet ijs, quibus culpam remis-  
serit. Remissio uero culpæ est maximum omnium, cum sancto  
euangelio, quod illi non ita curant, aut certe ignorant.

CONCLUSIO LXXII.

Qui uero contra licentiam & libidinem uerborum con-  
cionatoris ueniarum curam habet, sit ille benedictus.

SIC enim hodie habet uidua CHRISTI, sancta Ecclesia,  
ut oibus omnia liceant, & præsertim THEOLOGIS SCHO-  
LASTICIS, inter quos inuenite est, qui ueras etiã sententias  
damnant, nulla causa nisi quia ex suo fonte non prodierūt, ipsis  
tamen licet asserere, quod deus peccatū facit, deus est causa mali  
culpæ, & multa alia, quæ si quis poeta uel orator (ut uocant) aut  
græce, latine, hebraice doctus diceret, omnium hæreticorum pessi-  
mus fuerit, sed id maius damnū, Tantū est crimen, si quis Chris-  
tianus Turcis arma deferat, aut Romam petentes impediatur. Aut  
literas Apostolicas uiolauerit, ut nulla unq; data sit facultas, illa  
remittendi, etiam si plenissima plenissimarū daretur, sed sibi re-  
seruat sedes Apostolica, tam sancte tūc agebat Ecclesia, & serua-  
tis dei mādatis primū, etiã tam parua uoluerit, tanto rigore co-  
ercere. nondū em erat illa Lerna & Tartarus Simoniarū, libidi-  
num, pomparū, cædiū, reliquarūq; abominationū in ecclesia.  
At si illa ita rigide coercētur, quo tandem putamus rigore sunt  
coercendi, qui non Turcis, sed dæmonibus offerunt, non quæ-  
cunq; sed nostra propria arma, id est, uerbum dei, dum illud sur-  
is somnijs, contaminant, & (ut Isa. solet loqui) constant in Idolū  
per spiritum suum, ut sit non instrumentū, quo trahatur anima,  
sed seducatur in falsas opiniones. At hoc uitium passim ira li-  
cet, ut uiciosissimus sit, qui non uirtutem & meritum meritorū  
existimet a quocūq; factū fuerit. Sic & beatus Hieronymus que-  
ritur, scripturā omnibus patere, non ad discendū, sed ad laceran-  
dum. Deinde, si qui euntes Romam impediunt, adeo peccant,  
quid illi, qui euntes in cælum impediunt, non solum pestilentia



DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

bus doctrinis, sed etiam corruptissimis moribus: Et illi, qui non literas Apostolicas, sed diuinas uiolant, quo ibunt, clauem scientiæ tulerunt, ipsi non intrant, & introeuntes prohibent. An ista portenta sunt forte maiora & peiora, quam ut in die Cœnæ legantur & referuentur: Sed legantur solum in cœlo, & nunquã remittantur. Benedictione itaque digni, qui nituntur purgare scripturas sanctas, & elucidare ex tenebris opinionum & humanarum rationum, quibus prope facti sumus Pelagiani sensu, & Donatistæ opere, Sed hæc alias.

CONCLUSIO LXXII.

Sicut Papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negotij ueniarum quacuncq; arte machinantur.

ITERVM dico sicut prius (quicquid sit de intentione personali Summi Pontificis) potestati Clauium humiliter cedendũ, & fauendũ est, nec temere contra nitendum, dei enim potestas est, quæ siue per usum, siue ab usum agatur, debet timeri, sicut omne aliud opus ex deo, magis autem illa.

CONCLUSIO LXXIII.

Multo magis fulminare intendit eos, qui per ueniarũ prætextũ in fraudem sanctæ charitatis & ueritatis machinantur.

QUANTVMCVNQVE eĩ potestas honoranda est, non ideo tam ignaui esse debemus, ut ab usum eius nõ reprobe mus, aut non resistamus. Sic enim oēs sancti, potestatem seculi, quã etiam dei uocat Apostolus, sustinuerunt & honorarũt, etiã in medijs pœnis & torturis, quas illa inferebat, sed tamen constanter eius ab usum detestabatur. Et nõ ideo sustinuerunt, quia illi recte uterentur potestate psequendo, sed reliquerunt illis conscientia malifacti, & per mortem secum traxerunt testimoniũ, & confessionẽ innocentia, sicut beatus Petrus ait. Nemo patiat sicut fur &c. Ita si Ecclesia uel Pontifex aliquẽ priuauerit cõmunionẽ fidelitũ, sine causa, debet id sustinere, & potestatem non damnare, sed non debet ita timere, ut approbet quasi benefactũ sit, sed potius mori in excõmunicatione. nõ est enim excõmunicatus, nisi errante clauẽ, cuius errorem si approbet petens absolui, iam peius errat, clauẽ honoret & ferat, errorem nõ prober.